

Utrum aliqua reali differentia in divinis distinguantur nomina attributalia. Et loquor hic de ipsis nominibus attributalibus non prout in voce nostra, sed pro significatis scilicet de ipsis divinis attributis. Et arguitur quod sic, quia divina attributa ad invicem distinguuntur et non per operationem intellectus, ergo reali differentia. Consequentia nota, quia omnis distinctio aut est ex parte rei, aut ex parte intellectus. Sed probatur antecedens: primo quod distinguantur, quia aliter multitudo conceptuum attributorum esset vana et ficticia, sicut si uni rei create imponerentur multa nomina, quod est falsum sed quod non distinguantur per operationem intellectus.

Probo, quia vel per operationem intellectus creati vel increati. Non increati, quia cum intelligere sit unum attributum, queritur per quod illud intelligere distinguitur. Et si per aliud intelligere procedatur in infinitum, si vero distinguitur ex se, et ex natura sua ab aliis pari ratione et alia attributa. Nec per operationem intellectus creati, quia hoc solum dupliciter posset contingere, quia vel comparando ipsa attributa ad extra, vel comparando ipsa ad intra, non per comparisonem ad intra, quia ibi nullam distinctionem inveniet, nec per comparisonem ad extra, quia inter attributa divina et creaturas nulla est similitudo, cum ista sint substantialia et illa (52vb) accidentalia.

Ad oppositum arguitur illa que significant omnino unum et idem non differunt aliqua reali differentia, sed huiusmodi sunt nomina attributa in divinis, igitur. Maior de se nota, sed minor apparet, quia omnia significant essentiam absolute simplicissimam.

Respondeo ad quaestionem ponendo tres conclusiones. Prima conclusio est quod in Deo nomina attributalia non differunt formali differentia, scilicet quod non differunt formaliter. Probatur tripliciter. Primo sic: attributa divina non differunt realiter. Igitur nec formaliter. Antecedens notum, quia alias in Deo non solum esset realis trinitas, immo tot res realiter differentes quot sunt attributa quod negatur libro 1 Decretalium, De summa trinitate et fide catholica, capitulo 'damnamus', sed probatur consequentia quia nulla res ab aliquo quod est ipsa distinguitur sed attributum sapientie et attributum iusticie, et sic de aliis sunt una res. Igitur sapientia in Deo non distinguitur ab aliquo quod est iusticia, sed iusticia est formalis iusticie. Igitur et sapientia erit formalitas iusticie. Et sic potest argui de omnibus aliis. Sed probatur antecedens, ubi est difficultas, scilicet quod nulla res distinguitur ab aliquo quod est ipsa. Probatur sic: omnis res est quicquid est ipsa, igitur. Consequentia nota, Probatur antecedens, quia si non sit a talis res et illud quod non est a sit b, tunc arguitur sic: a non est b, igitur b non est a, igitur b non est res que est a, quod est oppositum positi, quia ponebatur quod a non esset bque est res ipsa que est a.

Secundo sic: quicquid est pura et simplicissima forma absoluta, omne tale cum quocumque est idem realiter, cum eo est idem formaliter, sed quodlibet attributum divinum est pura et simplicissima forma absoluta, igitur. Sed quodlibet est idem alteri realiter igitur, et formaliter. Apparet, quia si tale est idem alicui realiter, oportet quod illud sit secundum suam realitatem vel secundum aliquid sue realitatis. Sed tale quod est pura et simplicissima forma absoluta non est aliud nisi forma, igitur cuicumque est idem est idem illi secundum formam, et sic formaliter. Sed quod quodlibet attributum sit simplicissima forma ab omnibus conceditur.

Tertio sic: nichil absolutum quod est aliquid formaliter distinguitur ab illo formaliter, sed quodlibet attributum est quid absolutum et est formaliter aliquid quod est aliud (53ra) attributum. Igitur maior nota ex terminis, sed minor apparet primo quod attributum sit quid in Deo absolutum, quia convenit omnibus personis secundo quod sit formaliter aliquid quod est

aliud absolutum. Patet, quia una eternitate quodlibet attributum est eternum et formaliter sic et infinitum sic et summum. Et confirmatur, quia in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio secundum Anselmum De processione Spiritus sancti, capitulo 2. Igitur si omnino sunt unum non distinguuntur formaliter.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: si conclusio est vera, sequitur quod bonitas divina sit formaliter sapientia divina. Patet consequentia, quia tam bonitas quam sapientia sunt attributa divina, sed consequens falsum, quia si bonitas divina esset formaliter sapientia divina, tunc ista propositio esset per se et formalis bonitas divina est sapientia divina. Sed hoc est falsum, quia tunc bonitas in communi esset sapientia in communi et sic omnis bonitas esset sapientia, quod est falsum. Et patet consequentia per Philosophum 1 Posteriorum, dicentem quod omnis propositio per se et formalis presupponit de omni.

Secundo sic: omne illud quod secundum propriam rationem formalem sui est simpliciter perfectum debet secundum propriam rationem formalem poni in ente simpliciter perfecto absque omni operatione intellectus. Patet statim ista, quia alioquando illud non esset universaliter perfectum, sed careret aliqua perfectione formali, sed sapientia ut sapientia, iustitia ut iustitia, bonitas ut bonitas et sic de aliis attributis secundum proprias rationes formales sunt simpliciter perfectionis, igitur in ente perfectissimo, scilicet Deo sunt secundum proprias rationes formales, cum igitur alia sit propria et formalis ratio sapientie, alia iustitie et sic de aliis in Deo erunt secundum distinctas rationes formales absque operatione intellectus. Igitur et distincta formaliter.

Tertio sic, quia quero: talia nomina - bonitas, sapientia, veritas et huiusmodi et similiter conceptus illis respondententes - aut significant in Deo omnino idem, aut non. Si non, igitur sapientia divina non est formaliter bonitas divina. Si sic, igitur sapientia bonitas iustitia et huiusmodi videntur esse nomina sinonima, quod non videtur concedendum. Et potest confirmari per Damascenum libro primo capitulo 8, dicentem "quecumque dicimus in Deo affirmative non naturam divinam, sed quem circa naturam divinam sunt, ostendunt, et si bonum et si iustum et si sa-(53rb) piens et si quodumque aliud dicas non naturam dices sed que circa naturam.

Respondeo. Ad primum, concedo consequentiam et consequens, scilicet quod sapientia divina sit formaliter bonitas divina. Et quando probatur quod non, quia tunc omnis sapientia esset bonitas, nego consequentiam. Ad Philosophum dico quod omnis propositio formalis et per se presupponit de omni, dico quod verum est si subiectum talis propositionis ponatur absolute, sine aliqua determinatione, ut si hec sit vera 'sapientia est formaliter iustitia, bene sequitur quod omnis sapientia est iustitia', sed, si subiectum est determinatum vel predicatum aliqua determinatione qua restringatur aliquantulum a sua universalitate, non sequitur, sicut non sequitur 'homo beatus est formaliter satiatus, igitur omnis homo est formaliter satiatus'. Sic in proposito, cum dicitur bonitas divina est formaliter iustitia divina, hic li 'divina' habet equaliter restringere subiectum et predicatum, ideo non sequitur de omni. Sicut etiam non sequitur 'homo existens in caritate est formaliter carus, igitur omnis homo est formaliter carus'.

Ad secundum concedo totum argumentum usque ad illum passum cum dicitur quod alia est formalis ratio sapientie, alia iustitie, alia bonitatis. Ubi dico quod sapientia est duplex, scilicet creata et increata, similiter iustitia et bonitas, dico igitur quod si loquatur de sapientia increata et de bonitate dicendo quod alia est ratio sapientie et alia iustitie dico quod est falsum et petitur principium. Nam hoc est illud quod principaliter erat probandum. Si autem loquatur

de creata clarum est quod non est ad propositum, nec potest loqui de aliqua sapientia et bonitate que sit communis Deo et creature univoce, quia nulla talis est, ut patuit quaestione 6 conclusione prima.

Vel dico secundo quod attributa divina possunt considerari dupliciter. Unomodo secundum illud quod dicunt in recto, et sic dico quod est una formalis ratio omnium attributorum. Alio modo secundum illud quod dicunt in obliquo vel quoad connotata, et sic bene habent diversas rationes formales, quia iustitia idem est quod reddere unicuique quod suum est. Misericordia est misereri miseris et talia et secundum hoc non est contra conclusionem.

Ad tertium potest dici eodemmodo quod in recto significant omnino unum et non plura, sed in obliquo vel connotative plura significant et connotant. Nec ex hoc sequitur quod sint nomina sinonima, sicut posito quod intellectus sit ipsa essentia anime similiter et voluntas, licet unum (53va) significant in recto intellectus et voluntas, quia ipsam essentiam anime tamen quia in obliquo et connotative aliud significat intellectus quam voluntas non sunt nomina sinonima. Sic in proposito.

Ad dictum Damasceni dico quod Damascenus intelligit quod illa nomina concreta que dicuntur de Deo essentialiter quod illa quandocumque dicuntur de creaturis connotant aliquid accidens inherentes creaturis vel aliquid diversum ab eis, et ideo sunt predicata accidentalia et ostendunt in creaturis non substantiam, sed que sunt circa substantiam, sed talia quando dicuntur de Deo non stant pro aliquo distincto a Deo nec pro aliquo accidente, immo secundum substantiam discuntur secundum quod ait Augustinus, 15 De trinitate, capitulo 8, cum dicitur Deus sapiens bonus et iustus, secundum substantiam dicitur.

Ex ista conclusione infertur correlarie pars questionis negativa.

Secunda conclusio est quod nomina attributalia ab essentia non differunt formali differentia accipiendo scilicet nomina attributalia pro re significata per illa nomina. Probatur tripliciter: primo sic: quecumque differunt formaliter ab aliquo ponunt in numerum cum illo, sed attributa non ponunt in numerum cum essentia, igitur. Maior patet, quia omnia talia sunt duo sic formaliter distincta, sed minor apparet quia essentia non ponit in numerum cum aliqua re que sit in divinis, quia aliter ibi ad minus esset quaternitas rerum quod negat Decretalis, libro 1, De summa trinitate et fide catholica, capitulo 'damnamus'.

Secundo sic: attributa nullo modo distinguuntur ab essentia. Igitur nec formaliter. Consequentia de se nota. Sed probatur antecedens, quia illa que infinite identificantur nullo modo distinguuntur. Sed attributum et essentia sunt huiusmodi, igitur. Maior apparet, quia oppositum predicati infert oppositum subiecti, et minor apparet, quia sunt idem essentie eodem modo quo omne quod est in Deo est idem ipsi Deo, et per consequens eodem modo quo Deus est unus hec autem unitas est infinita, igitur.

Tertio sic: illa que distinguuntur formaliter, quicquid est unum non est aliud, sed quicquid est attributum est essentia, igitur. Maior apparet, quia ad minus postquam distinguuntur formaliter ratio formalis unius non est aliud, quia da oppositum iam non distinguerentur formaliter. Aed minor apparet, quia omne quod est in Deo tam attributum quam ratio formalis eius tam persona quam relatio omnia sunt ipsa divina essentia et essentia divina est quodlibet illorum, ut apparet distinctione 8 primi et in Decretis in primo argumento allegata (53vb) ta.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: omnia distiguuntur formaliter de quibus possunt verificari predicata contradictoria, sed de attributis et essentia possunt verificari predicata contradictoria, igitur. Maior patet, quia illa est potissima via ad probandum unam rem non esse aliam, vel unam rationem formalem non esse aliam. Sed minor apparet, quia cum sapientia sit quoddam attributum, tamen de ipsa et de essentia predicantur contradictoria predicata. Nam sapientia est genita ut ait Magister libro primo distinctione 28. Essentia autem non est genita, ut ait Magister libro 1, distinctione 5. Similiter intellectus est quoddam attributum et tamen pater genuit Filium modo intellectus et non modo essentie et multe alie contradictiones possent adduci.

Secundo sic: illa quem sic se habent quod unum potest cognosci alio non cognito vel concipi alio non concepto, illa distinguuntur formaliter. Essentia et attributum sunt huiusmodi, igitur. Maior patet, quia idem formaliter esset cognitum et non cognitum, conceptum et non conceptum, quod implicat. Sed patet minor, quia essentia potest cognosci vel concipi sine attributis, immo de facto christiani concipiunt vel cognoscunt divinam essentiam, non tamen cognoscunt nec concipiunt omnia attributa cum sint innumerabilia, etiam multi philosophi conceperunt divinam essentiam, non tamen eius immensam et infinitam potentiam, que est quoddam attributum, immo nec infinitam potentiam esse crediderunt, qui tamen crediderunt Deum esse etc.

Tertio sic aliquod attributum divinum potest incipere esse post non esse et desinere esse post esse. Igitur consequentia patet, quia ipsa essentia non potest incipere nec deficere, immo ipsa Dei eternitas est idem quod ipse Deus, ut ait Magister in ista distinctione. Et patet antecedens, quia scientia Dei est quoddam attributum, et tamen potest incipere esse post non esse. Nam scientiam Dei sciens me legere antequam legerem non erat, quia scivissem falsum et modo est, igitur incepti esse post non esse similiter potest desinere, quia talis scientia sciens me legere modo est et quando dimiserit legere non erit, quia scirem falsum.

Respondeo. Ad primum obmissa maiore, quia de illa magis dicetur in sequenti conclusione, nego minorem. Ad probationem dico quod sapientia in divinis accipitur dupliciter, ut ait Magister libro 1 distinctione 10 scilicet aliquando pro persona divina, aliquando pro Filio vel quod idem est aliquando accipitur personaliter, ali- (54ra) quando essentialiter, quando dicitur personaliter sic potest dici genita quia stat pro filio, et tunc non est attributum quando accipitur essentialiter, tunc non potest dici genita, quia tunc pater etiam esset sapientia genita et sic est attributum et cum aditur quod pater genuit filium modo intellectus et non voluntatis et spiritus sanctus modo voluntatis et non intellectus, non est intelligendum quod intellectus divinus genuerit filium et non voluntas, nec quod voluntas divina produxerit Spiritus Sanctus et non intellectus, sed in talibus locutionibus li 'intellectus et voluntas' referuntur ad voluntatem et intellectum creatum et non ad increatum. Unde cum dicitur 'Pater genuit filium' modo intellectus sic intelligitur quod sicut intellectus creatus producit actum suum, scilicet intellectionem nulla alia re in anima producta presupposita, sic filius procedit a patre nulla persona divina producta presupposita. Similiter quod dicitur Spiritus Sanctus procedit a patre et filio per modum voluntatis, sic intelligitur quod sicut amor procedit a voluntate nostra, scilicet presupponens aliam rem in anima productam, quia scilicet amor presupponit cognitionem, sic Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio scilicet presupposita persona filii producta, et sic apparet quod cum dicitur filius procedit per modum intellectus quod li

'intellectus' refertur ad intellectum nostrum. Et similiter cum dicitur 'spiritus sanctus procedit per modum voluntatis'.

Ad secundum nego minorem. Ad probationem dico quod cognoscens essentiam divinam cognoscit quicquid est essentia et presequens omnes personas et omnia attributa, licet non credat vel non intelligat se omnia talia cognoscere, ut satis patet per tertiam conclusionem precedentis quaestionis, et cum dicitur quod sunt innumerabilia dico quod omnia attributa in Deo quantum ad illud quod dicunt in recto sunt solum una perfectio et unum attributum, licet quantum ad connotata multiplicentur.

Ad tertium nego antecedens. Ad probationem dico quod antequam legam scientia Dei sciens me legere est, et similiter postquam cessavero legere, scientia Dei sciens me legisse est, quia illa scientia cum sit divina essentia in se omnino est invariabilis. Et comprobatur, quia tunc scirem falsum dico quod non sit falsum, quia antequam incipiam legere scit me legere non pro tempore pro quo non lego, sed pro tempore quo lego. Similiter postquam cessavero scit me legere pro tempore quo legi sicut ab eterno voluit creare mundum, non pro eterno, sed pro instanti in quo ipsum creavit.

Tertia conclusio est quod persone a di- (54rb) vna essentia non differunt formali differentia. Probatur tripliciter. Primo sic: quodcumque aliquid simplex est idem alicui realiter sibi est idem totaliter. Sed persona est quid simplex, etiam simplicissimum, et est idem realiter essentiae, igitur et totaliter, igitur et formaliter, igitur non differunt formali differentia. Maior apparet, quia oppositum predicati infert oppositum subiecti, quia si aliquid est alicui idem realiter, non tamen totaliter sequitur quod secundum aliquid sit sibi idem et secundum aliquid non. Igitur non est simplex, sed minor apparet, quia persona divina cum sit Deus, tanta simplicitate est simplex, sicut et ipse Deus, igitur.

Secundo sic: formalitas persone et formalitas essentiae sunt una simplicissima formalitas, igitur non distinguuntur formali differentia. Consequentia nota, probatur antecedens, quia quicquid est persona est essentia, libro 1 distinctione 19, sed formalitas sive proprietas persone est ipsa met persona, libro 1 distinctione 33, igitur formalitas persone est ipsa essentia, sed essentia non est aliud a formali ratione essentiae. Igitur quicquid est essentia est formalis ratio essentiae. Sed formalis ratio persone est essentia, igitur formalis ratio persone est formalis ratio essentiae, igitur non distinguuntur formaliter.

Tertio sic: si essentia et persona divina differant formaliter, igitur persona et essentia sunt aliqua duo differentia. Patet consequentia, quia idem in quantum idem non patitur distinctionem vel differentiam, igitur omne quod patitur differentiam, hoc patitur in quantum non idem, sed omne tale dicit aliqua duo. Si igitur persona et essentia aliquo modo differant, oportet quod dicant aliqua duo, sed consequens est falsum et erroneum, quia ponit quod persona ponat in numerum cum essentia quod est contra determinationem ecclesie libro primo De summa trinitate et fide catholica capitulo damnamus igitur.

Contra conclusionem arguitur tripliciter: Primo sic: de persona et de essentia verificantur predicata contradictoria, igitur differunt et non precise per operationem intellectus, quia talis operatio intellectus nullam distinctionem ponit in re, igitur absque operatione intellectus igitur differunt ex natura rei et formaliter.

Antecedens patet, quia persona non est communicabilis, et essentia est communicabilis. Consequentia patet, quia de quolibet affirmatio vel negatio et de nullo simul.

Secundo sic: quecumque sunt idem formaliter habent unum conceptum formalem, id est concipiuntur uno conceptu formaliter, sed per se essentia et persona sunt huiusmodi, igitur concipiuntur uno conceptu formaliter (54va) ptu formali.

Sed contra: quecumque concipiuntur uno conceptu formali, conceptu uno necessario concipitur reliquum, sicut patet de diffinitione et diffinito, sed persona et essentia concipiuntur uno conceptu formali, Igitur conceptu uno necessario concipitur reliquum, sed essentia potest concipi conceptu naturali et naturaliter. Igitur et persona, quod est falsum, quia philosophi conceperunt essentiam, et non personam.

Tertio sic: aliquid formaliter opponitur persone quod non opponitur essentie. Igitur persona et essentia differunt formaliter. Consequentia nota, quia alias idem alicui formaliter opponeretur et non opponeretur, quod contradictionem implicat. Sed patet antecedens, quia filius formaliter oppositione relativa opponitur Patri et non essentie.

Respondeo: ad primum nego consequentiam, ut patuit quaestione 5.

Ad secundum concedo totum argumentum et quod concepta essentia concipitur persona. Et qui naturaliter potest concipere essentiam potest concipere personam naturaliter, ut patet ex processu precedentis quaestionis immediate.

Ad tertium nego consequentiam. Unde dico quod non oportet quod si filius opponitur patri et non essentie quod pater non sit essentia. Sed solum sufficit quod essentia sit aliqua res que non est pater, ut dictum est de predicatione contradictoriorum.

Ad argumentum principale in oppositum, nego antecedens, scilicet quod divina attributa ad invicem distinguantur, quia non distinguuntur in re, ut visum est, nec ratione, quia distinctio rationis, scilicet que solum fabricata est per intellectum non est in re, sic intellecta sed solum in ipso intellectu tamen de hoc forte alias magis dicetur. Ad probationem, quia aliter essent conceptus ficticii et vani, et sinonimi responsum est in solutione tertii argumenti contra primam conclusionem, ubi ostensum est quarum non sunt sinonima talia nomina vel tales conceptus attributorum divinorum.